



COLLOQVIVM TERTIVM DECIMVM

Persōnae: Medicus, Syrus, Iūlius, Aemilia, Syra

Hōra octāva est. Dum Quīntus in lectō iacet in cubiculō suō,

Medicus in ātriō Iūlium exspectat. Servus adest Syrus.

Iūlius ex cubiculō Quīntī venit.

Medicus interrogat: “Dormitne puer?”

“Nōn dormit” respondet Iūlius, “Quīntus dormire nōn potest,
quod iam nōn modo pēs eius dolet, sed etiam bracchium.”

Medicus: “Pēs tantum aegrōtat.”

Iūlius: “Cum pēs aegrōtat, necesse nōn est vēnam bracchiī
aperīre. Hōc modō pēs aeger nōn sānātur.”

Medicus: “Sanguis ā corde per vēnās fluit in tōtum corpus
hūmānum, ut dīcit Hippocratēs...”

Hippocratēs -is *m*

Hīc intrat Aemilia cum Syrā ancillā, quae pōculum fert plēnum
sanguinis.

Aemilia: “Ecce sanguis Quīntī in pōculō. In corpore eius iam
nōn multum sanguinis est, ut ostendit color eius albus. Filius
noster nunc aegrior est quam erat!”

Medicus: “Sed faciēs eius nimis rubra erat. Puer crassus...”

Aemilia: “Num filius meus puer crassus est?”

Syra (parvā vōce ad Aemiliam): “Is nōn est tam crassus quam
ipse medicus!” Sed ea verba ā crassō medicō nōn audiuntur.

Medicus: “Nōn nimis crassus est puer. Homō autem crassus, cui color faciēi ruber est, nimis multum sanguinis habet...”

Iūlius: “...ut dicit Hippocratēs!”

Aemilia: “Quis est Hippocratēs?”

Medicus: “Est medicus Graecus clārissimus. Ille dicit ‘hominem crassum ac rubrum nimis multum sanguinis habēre in corpore’.”

Iūlius: “Ergō in corpore tuō crassō nimis multum est sanguinis!”

Medicus: “Num crassum est corpus meum?”

Iūlius: “Crassius est quam corpus Quīntī. Atque ecce faciēs tua rubra. Sānā tē ipsum, medice!”

Medicus: “Quō modō?”



Iūlius: “Sūme cultrum ac vēnam aperī tuam!”

Rident Aemilia et Syra. Item Syrus rīdēre incipit.

Medicus (īrātus): “Servus tuus mē rīdet!”

Iūlius Syrum tacēre iubet: “Tacē, Syre! Exī atque equum medicī dūc ante ōstium!”

Exit Syrus.

Vōx Quīntī audītur ex cubiculō: “Venī, māter!”

Iūlius: “Audī, Aemilia! Quīntus tē vocat. Estne sōlus in cubiculō?”

“Nōn est” respondet Aemilia, “Dēlia est apud eum. Quīntus gaudet medicum abesse, et mē exspectat.”

Medicus: “Cūr mē abesse gaudet?”

Aemilia: “Quia tē atque cultrum tuum metuit. Dīcit ‘tē esse malum medicum!’”

Medicus: “Quid? Ille puer id dīcere audet?”

Syra (parvā vōce in aurem Aemiliae): “Nōn puer tantum id dīcit!”

Iūlius: “Nōnne malus est medicus quī hominēs aegrōs nōn sānat, sed aegriōrēs facit?”

Medicus: “Quī medicus id facit?”

Iūlius medicum aspicit nec respondet.

Quīntus rūsus mātrem vocat: “Māter! Ma-ā-ter!”

Iūlius: “Ī ad Quīntum, Aemilia, atque iubē eum dormīre! Hōra octāva est.”

Aemilia abit ad filium suum aegrum.

Medicus: “Īam tempus est mē abīre.”

Iūlius: “Nēmō tē hīc tenet.”

Medicus: “Ubi est equus meus?”

Iūlius: “Īam stat ante ōstium.”

Iūlius cum medicō ante ōstium exit. Illic stat equus medicī, quī ā Syrō tenētur. Medicus equum ascendit.

Medicus: “Valē, domine!”

Iūlius: “Valē, medice! Necesse nōn est tē post hunc diem revenīre.”

Medicus sōlus discēdit.